









MARCI PEZZII

VERONENSIS PRÆSBYTERI

IN

ECCLESIASTICUM ORATOREM

NOVISSIMARUM ANIMADVERSIONUM

LIBRI DUO.





VERONÆ, MDCCLXIII.

APUD AUGUSTINUM CARATTONIUM;
SUPERIORUM PERMISSU



EMINENTISSIMO, AC REVERENDISS.

PRINCIPI

CAROLO CARDINALI REZZONICO

S. R. E. CAMERARIO,

INSIGNIS MONASTERII ET ABBATIÆ S. ZENONIS
M. VERONÆ PERPETUO COMENDAT.
ABBATI, COMITI ETC.

MARCUS PEZZIUS.



Amdiu est, EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCEPS, cum has in Ecclesiasticum Oratorem, novissimasque Animadversiones mente volvebam, id unum veritus, ne si in lucem pro-

 dirent,

dirent, ab iis, qui in doctrinis maxime versati sunt, studiose minus acciperentur; illisque præsertim Oratoribus, quibus neque ætate, neque ingenio, neque scientia comparari minime audeam. Verum sicuti in optimis quibusque artibus quædam paullatim subrepere contigit, quæ præcipuis illarum regulis maxime adversentur, atque communi hominum bono; haud equidem latere quemquam potest, quod & liberalissimæ Eloquentiæ facultati, nec idem in dicendo Græciæ Oratoribus habitus semper honos, qui Demosthenis ævo, nec idem Romæ sapientibus, qui aurea Tullii ætate, nec idem denique Italicæ linguæ cultus, qui a duobus jam sæculis in præclarissimis Viris tantopere floruit; idemque plane de Ecclesiasticis Oratoribus dicendum nobis sit, qui omni ætate hucusque fuere, tanto licet plausu excipiantur eorum aliquando conciones: valde enim & multitudinis in-

Intelligentiæ, & animorum commotioni officiunt nonnulla, quæ admonenda hic colligimus, quæque ipſi Eccleſiæ Concionatores caſtiganda minime advertunt, non Rhetoricæ artis inſcitia, ſed ne vel Auditorum voluptati, vel temporis conſuetudini diſplicere illis obveniat. Illud tamen ſuſcepti operis conſilium nobis eſſe nemo ſit qui putet, vetera quidem Rhetoricorum præcepta tradendi, Empedoclis ſcilicet, Gorgiæ, Ariſtotelis, Tullii, Quintiliani, Sanctorumque Eccleſiæ Patrum, ut Dei Verbi Miniſtri æqua inſtituantur divinæ eloquentiæ palæſtra; ſed ea ſolummodo, quibus, ut in Deliberativo, de quo nunc agimus tantum loquendi genere, quod & Concionale vocat Ariſtoteles, in eoque præ cæteris hortando, vel dehortando, graviſſimis fere de rebus conſulendum venit; ad Antiquorum inſtitutum revocentur potius, ac præſtantiſſimas naturæ leges, vel ab ipſo om-

nium eloquentiſſimo Viro Divo Chryſoſtomo optime uſurpatas, qui omnem Græcorum, ac Romæ quoque Oratorum artem, atque rationem proſecutus diligentiſſime fuit; quaſque & Muratorius ipſe, vir quidem noſtri ævi omnis Literaturæ expertiſſimus, ſummis extulit laudibus, perpetuoque ſervandas eſſe commendavit. Quare, ut olim Tullius, in his omnibus nova dicere intelligo, cum pervetera dixero, quamvis pro ætatis noſtræ conſuetudine, hominumque judicio, veluti inaudita habeantur. Quæ autem ſunt iſta? ea utique, quæ in hoc primo advertimus libro, naturali ſcilicet ingenio, popularique facundia illa tractanda eſſe, quæ ad humanos mores, vitia, atque virtutes pertinent, quod pauci admodum faciunt; in altero autem quomodo in Oratoris mente conciones meliori, ac expeditiori via comparari poſſint, quam remoto alio, ac difficili, quo utuntur fere


cona-

conatu. Ea ergo tui perhonorifico Nomini, EMINENTISS., AC REVERENDISS. PRINCEPS, qui primum es mihi, ac nobilissimus omnium Mecœnas, nuncupari liceat, atque ex Veronensi regione, ad hanc usque transmittere omnium inclytam, ac florentissimam Urbem. Fausta hæc quidem præ omnibus, atque honorificentissima Venetorum ætas REZZONICORUM, tam amplis a Deo aucta, magnificisque Muneribus, qua & Sanctissimum habemus nobis Patrem CLEMENTEM XIII, Optimum vere, Maximumque Pontificem, totius Orbis felicitati divinitus concessum, feliciterque Regnantem; Te habemus illius gratia, præstantissimum S. R. E. CARDINALEM, insignium virtutum MAGNI PATRUI vestigiis, Pietate, Justitia, Clementia, & Liberalitate quampropius hærentem; Excellentissimum tui Patrem D. AURELIUM REZZONICUM Venetiis habuimus, nobilissimi Equitis, amplissimique Procura-

ratoris Dignitate ornatum, ex quo etiam eximias animi tui Virtutes mirifice haufisti; D. LUDOVICUM tui denique simillimum Fratrem habemus, qui iisdem & ipse, quibus jam Pater, Dignitatibus quam merito, & maxime fulget! Tanta ergo in rerum omnium amplitudine, & gloria, quæ vix commemorari præclara sit, summaque laus, magno & me cumulabis beneficio, atque honore, EMINENTISS. AC REVERENDISSIME PRINCEPS, si munusculum hoc meum humaniter quidquam respexeris, tuaque summa auctoritate tueri illud digneris, meque ut profuso, humillimoque animo Tibi totum, meaque omnia deferam.



IN



IN ECCLESIASTICUM ORATOREM

NOVISSIMARUM ANIMADVERSIONUM

LIBER PRIMUS.

Expenditur prima, qua Recentiores utuntur, exquisita nimis dicendi cura, & copia.

CAPUT I.



CUM natura ipsa in cunctis optima sit rerum agendarum magistra, (1) eaque meliora sint, quæ natura, quam quæ arte perfecta sunt: etenim

(2) Numquam aliud natura, aliud sapientia dicet;

nullum est dubium quin, veluti ex amplissimo fonte, innumeri exoriantur illorum errores, qui imperitorum more poetarum, atque pictorum, in exequendis artis cujus-

que

(1) Cic. 1. de Nat. D. (2) Iuv. Sat.

que præceptis, utique a naturæ institutis quoquo modo aberrant, illiusque mores optima imitandi ratione. Equidem si rem diligentius paulo expendamus, id nobis concedere plures etiam in Ecclesia Oratores quam maxime debent, vel exquisitis lucubrationibus ipsa artis confinia sæpe illi excurrentes, vel qui eorum dicendi inopia perfecte elaboratam concionem haudjumquam perficiunt. Sunt enim qui putent optimum esse orationis genus, quod scelectis verbis, inusitatisque sententiis, remota doctrina, omnigenaque eruditione constet. At quamvis auditorum ingenium, & sensus, ut in voluptatis Paradiso Parentibus vetitum lignum vehementer allicere soleat mira quædam dicendi species; hisce tamen concionibus (1) non ingenuam, sed adulterinam potius, minimeque probandam præseferunt orandi formam. In quo enim primum sita est Rhetoricæ ars, nisi ut bene quisque loquatur? id ergo & utili quodam, ingenuoque dicendi stylo, quo orationis sensus manifeste exprimantur, ipsaque veritas excipi omnium auribus luculentius possit: contra enim qui agit, vel ipsis statim adversabitur, gravissimisque

Lo-

(1) Murat. eloq. prop. c. 3. & c. 6.

Logicæ regulis, quibus in re qualibet exponenda, ut perſpicuo utamur Sermone in primis docemur, ne quidquam obſcuritatis verba audientibus præbeant, percipiendique laboris; otioſum enim Sermonem (1) Fabius eſſe dicebat, quem auditor ſuo ingenio non intellexerit; proindeque (2) copioſe loquens ſapientia eloquentia ipſa appellata eſt, non pulchra quidem, aut formoſa dicendi facultas, quod iſtiuſmodi præclaro Oratoris Judicio ut temperata ſit, a Rhetoris omnino requiritur. Oratores quidem ſcientiis omnibus inſtructi ſint imprimis oportet; attamen non iis ut ad pompam profecto illi abutantur, ſed ut (3) ſatis calide, periteque de Reipublicæ cauſis agere poſſint, ſeu pacis, ſeu belli, ſeu juris, ſeu morum, aut cujuslibet liberalis artis: qui ergo & in Eccleſia ſunt, ut de univerſis rerum chriſtianarum generibus, propoſitiſque rebus idem & ipſi efficere ampliſſime poſſint. Id vero utrumque ſapienter conjugere quiſquam poterit, qui in ſingulorum tractatione ita eloquens ſit, ut (4) dicendo poſſit tenere hominum cœtus, mentes

tes

(1) l. 8. c. 2. (2) In partit. n. 23. (3) De Or. l. 1. n. 11.
(4) De Or. l. 1. n. 8.

tes allicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere.

Nec contra nos eſt ſi aliter dixerunt doctiſſimi Eccleſiæ Patres, quique omnium eloquentiſſimi habiti ſemper fuere, ut mirum ſit quanta eorum ſcripta omni eruditione plena ſint, floribuſque redundent. Maxime enim animadvertendum nobis eſt, illis multiplici hac fere oratione, inſtitutoque dicendi opus tunc fuiſſe, quod non cum Fidelibus tantum ſermocinari deberent, ſed & cum Judæis, illis quoque permixtis, Hæreticis etiam, Idololatriſque hominibus. Quare cum his omnibus ſatis omnino faciendum eſſet, ita & eloquentiæ, quæ tunc temporis in uſu erat, oblectamentis inducere, ſuis tamquam exercitus inſtructus agminibus, accitis etiam ad pugnam undique auxiliariis copiis; omnium quoque doctrinarum ſcientia, nec non argumentorum delectu, ad moltitudine cogere, atque moveri opus eſſe cenſebant. Cum vero ad morum tractationem, veluti in quamdam eloquentiæ arenam aliquando deſcenderent, quid vulgi captui magis accomodatum? quid eorum ſententiis clarius? quid vulgarium verborum aptius fingi, aut excogitari umquam poteſt,

ut

ut ea omnia explicarent, quæ de rerum causis, effectibus, atque circumstantiis dicenda sumebant? Ita præcipue Chrysostomus divitis Epulonis crudelitatem exaggerans, inhumanitatemque in Lazarum omnium pauperrimum, quem ille præ foribus stratum, & multa quotidie precantem, non exaudire non modo, sed in eum vel paullulum oculos coniicere dedignabatur, plagis licet undique affectus esset, canibusque miserrimus; nec Dives tamen miserabatur, qui splendide adeo vivebat, qui inter amicos assidue epulabatur, qui bysso, & purpura, Regum more induebatur. En quo eximium Sanctissimi hujus Viri eloquentiam naturæ ferebat ingenium; non longe conquisita, nec fucatis quidem, scelectisque verbis exposita in medium afferendo, sed quæ in more posita perspicue viderentur, vulgarique sermone, quod proprium Oratoris maxime est (1) gravi, & ornata oratione, atque hominum sensibus, ac mentibus accomodata. Id autem minime possunt Concionatores nostri inani eorum facundia, quin ab orationis fine deterreantur animorum sensus, ut proinde merito Demetrium

(1) De Or. l. 1. n. 12. Murat. Eloq. pop. c. 5.

um phalereum (1) Demostheni postpositum fuisse legimus. Quapropter & S. Cyprianus, tanta licet in eo esset dicendi vis, atque facultas, quam raro ea tamen usus ille fuit (2)? ob eam procul dubio Tullis sententiam, (3) quod dulce illud orationis genus, & solutum, & effluens, sententiis argutum, verbisque sonans, pompæ quam pugnæ aptius (quidem sit), Gymnasiis, & palestræ dicatum, spretum vero, & pulsum foro; nobisque cum Fabio lugendum merito est, (4) quod isti habitum ipsum orationis virilem, & illam vim stricte, robusteque dicendi tenera quadam elocutionis cute operiant, & dum levia sint, ac nitida, quantum valeant nihil interesse arbitrantur.

Ac profecto ita sui ipsius genere, partibus, atque rationibus circumscripta res quælibet est, totque abundat frugibus illius ager, utque arbores fructibus, orationis quæque argumenta, ut satis superque de vitii cujusque, atque virtutis natura, effectibusque dicendum sit, quin ex eorum finibus Oratori excurrere liceat; quo enim in foro utuntur etiam nonnulli vel digrediendi, seu exemplorum

(1) Brut. n. 9. (2) S. Aug. de Doct. Chr. l. 4. c. 14.
(3) Orat. n. 3. (4) Quint. l. 5. c. 12.

rum rationem, (1) non ad Litigantium utilitatem, sed ad patronorum jactantiam repertum fuisse putandum est. Quid enim? aliter ne summæ eloquentiæ viri, Hiperides nempe, Licurgus, Dinarcus, atque Demosthenes? Galba, Cato, Antonius, Crassus, Cota, Sulpitius, Hortensius, ac Romanorum princeps Tullius? Herodotus demum, Thucidides, Cæsar, & Livius in eorum historiis, vel ad cives, vel ad milites habitis quidem concionibus? Quid & clarissimi Ecclesiæ Patres, Basylius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Leo magnus, atque Fulgentius, aliique plures, quos nimis longum esset recensere omnes? Id autem undenam illi? ex divinis profecto Sanctarum Scripturarum exemplis, cum veterum Prophetarum, tum Apostolorum denique, quorum dicendi arte (2) non solum nihil sapientius, verum nihil eloquentius videri possit: quodque præsertim perspicere est, Deum similiter eorum afflantem spiritum se se cujuslibet naturæ, indoli mirifice accomodasse; aliter enim Isaias, aliter Hieremias, aliter Amos, aliter Joannes, aliter Paulus locuti fuere, prout cujusque pa-

(1) Quintil. l. 4. c. 3. (2) S. Aug. de D. C. l. 5. c. 25.

patiebatur facultas, ſtudium, mentiſque aptitudo. Ergo & noſtra quælibet oratio (1) ornetur oportet genere primum, & quaſi colore quodam, & fuco ſuo; aut ſi quid præterea addendum ſit, id ſolum ut in ornatu (2) quædam diſpoſita, inſignia, & lumina: quantum enim a Græcorum uſu Aſiatici omnino abhorrebant, tum a Romanorum inſtituto, ita illi, quos nunc attulimus, Eccleſiaſtici viri, a Patribus diſſentiri videntur, eoſque omnes diſertos quidem nuncupari fas eſt, minime vero eloquentes.

Rejicitur quoque familiaris dicendi modus.

CAPUT II.

NEque in eorum opinionem deſcendere poſſum, qui ſeu in Urbibus dicant, oppidis, vel ruris Templis, preſſo ſtylo, leni ubicumque, & æquabili morales texunt conciones, ac ſi hiſtoriam, vel aliquam doctrinæ partem explicandam ſuſciperent; cum tamen hiſtoriæ locus, ac docendi munus alicujus tantum, non totius quidem orationis partis ſit: idque fortaſſe

(1) De Or. l. 2. n. 28. (2) Ibidem.

ſe quod ornata eloquentia pro futili quadam humanæ ſapientiæ arte habenda ſit, quæ obeſſe potius, quam prodeſſe audientibus poſſit. Verum quis neget, id vel maxime tum divinæ Legis auctoritati, tum Religionis conferre myſteriis? nam præclariſſima hac dicendi ratione, qui inter ſacros habetur Sapientiæ, librum græca melioris ævi eloquentia ubique olentem, Spiritus Sancti afflatu conſecratum fuiſſe novimus, tum Sacrorum omnium Auctorum ſcripta veteris, novique Teſtamenti, & illa ſimiliter, ac Tullianas omnes conciones, cæterorumque Oratorum declamationes conſpicere eſt. Ipſe denique Romanus Catechiſmus, qui ex Tridentini Concilii decreto, Maximique Pontificis Pii V. juſſu editus fuit, quanta eloquentiæ laude ornatus prodierit, nemo eſt qui ignoret. Quid enim in rerum natura, (1) ſalubri ſuavitate, vel ſuavi ſalubritate quid melius? nam quo magis illic appetitur ſuavitas, tanto facilius ſalubritas prodeſt: quodque natura in ſyderibus, in plantis, in lapidibus ipſis, minimiſque animalibus nativa pulcritudine effinxit, (2) ſic in oratione, ut ea, quæ maximam utilitatem in ſe

(1) S. Aug. ubi ſup. (2) De Or. l. 3.

se continerent, eadem plurimum haberent vel dignitatis, sæpe etiam venustatis.

At cum Oratores nostri suggestum dicturi conscendunt, dignum certe argumentum sibi eligant non solum opus est, summeque necessarium; sed quamtumvis ille popularis habeatur, æquo tamen stylo cum pro illus quidem dignitate, cum argumentorum ratione, cum denique singularium orationis partium varietate exponenda omnia sunt. Ac rursus si illi, (1) qui ad justitiam erudiunt multos, stellis coæquantur in perpetuas æternitates fulgentibus; quidni sacra eorum eloquentia omnium oculos suis perstringere ornamentis, atque lumine non opportebit? ideoque & omne quidem Concionatoris munus absolvere, ut oratorie loquantur, (2) quod totum dicendi, movendi, delectandi partibus continetur (suis & Italicæ Linguæ, (3) verborum, ac sententiarum figuris). Disertos enim satis putat Tullius dicere quæ opportet; ornate autem eloquentissimi proprium esse. Quis autem eloquens erit? ille profecto, (4) qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate dicere possit. Neque ista sane elo-

(1) Dan. 13. (2) Quint. l. 8. in proem. (3) Bemb. Prof. (4) Or. n.29.

eloquentia alicubi solum in oratione requiritur, sed ubicumque contigerit & sacri, (1) & prophani docent Rhetores: (2) illa enim ut gravis, ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat, non est singulorum articulorum, in toto hæc spectantur corpore. Veruntamen his omnibus prætermissis, quod maxime obvium est, submisse, aut mediocriter agunt Nonnulli; nec ut satis se fecisse arbitrentur, singulorum sensus, aut verborum gravitate, aut dicendi temperantia, vel subtilitate quidquam secernere curant. Ita ille, qui domesticam pacem dum Populo aliquando suaderet, eum a quibusdam discordiæ causis cavere tantum jussit, quas singillatim cum suis Auditoribus uno eodemque stylo, ut initio temperate exponendas suscepit, ad finem quoque perduxit. Qui oro sunt isti rerum mortalium tractatores potius dicendi, quam Oratorum nomine digni habeantur? hujusmodi enim (3) philosophia sine veris ornamentis, eloquentes non facit, sed solum disertos.

Certe duo illa Ecclesiæ lumina, nec non Ecclesiasticæ eloquentiæ decus, Gregorius Na-

(1) S. Aug. c. 17. ubi sup. (2) De Or. l. 3. n. 25. & Bemb. Pr. (3) Or. n. 4.

Nazianzenus, & Leo Magnus, cum de morali aliquo argumento orationem instituebant, mirabili facundiæ arte, atque dicendi gravitate quam facile omnes superarunt? quantum scilicet aquarum rivuli magnis obruuntur fluminibus: cæteri autem, iique maximi Ecclesiæ Patres cum ad Catecumenos sermonem converterent, subtiliter quidem omnia dicebant; cum vero contra spectaculorum insaniam, aut Potentium superbiam insectarentur, aliaque vitia, & subtilia, & grandia, & temperata verba disposita habebant: quamvis, ut Muratorius quoque advertit, extemporaneis concionibus illa fecissent; ideoque familiari prope sermone: (1) nam cum aliquid agendum est, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec volunt tamen, tunc ea, quæ magna sunt, granditer dicenda sunt, & ad flectendos animos congruenter. Quamobrem cum Asiæ Oratoribus id vitio præcipue Fabius vertisset, quod (2) in illis judicium in eloquendo, ac modus deerat; nostris econtra quod aridi sunt cum illo recte illis obiicimus, suis ut floribus prata, ut pictura coloribus, ut foliis arbor, ut suo, si statim deficeret, lumine sol;

(1) Aug. c. 19. ubi sup. (2) Instit. l. 8. in proem.

ſol; ſicque utrinque apparet in hoc, & vitium, & virtutem eſſe dicendi. Cur denique ſuggeſtum a Cathedra, a catecheſis loco Altaria ſermocinando diſtinguimus ? id profecto cum in Civitatibus, cum ruri quidem, ut inter Miſſarum ſolemnia Homiliis, temperatoque ſermone utamur cum pueris, idiotiſque hominibus; omnis autem orationis dignitas, ut ad altiorem evehatur locum, a Majoribus noſtris didicimus, non eorum quidem arbitrio, ſed ipſa ductante natura, quæ ſponte ſua unumquodque ab alio ſermonis genere ſecernendum eſſe optime quidem intelligit; illudque (1) in Eccleſia inſtitutum ſemper obtinuit, præcipuiſque ab illius tum veteribus quidem Patribus, cum recentioribus ad nos uſque ſapientiſſime retentum eſt. Hoc itaque (& ut perfectum habeamus Concionatorem)(2) ſtudium adhibendum eſt, hoc exercitatio petit, hoc imitatio... hoc maxime orator oratore præſtantior, hoc genera ipſa dicendi alia aliis potiora. (3) Ut ſcilicet in re omni conſideremus quid aptum ſit, tempori conſentaneum, atque perſonæ, tum quid in dictis, factiſque deceat.

(1) Mur.El.pop.c.8. (2) Quint.ubi ſup. (3) Cic.orat.&Brut. lib.

Neque admittendum, quòd sæpius usurpatur, quoddam disputationis genus.

Caput III.

Quos ergo imitari debemus? num illos, qui toti in eo sunt, ut quod contra Dei legem est, Religionisque institutum, malum esse probare contendunt? Verum a pueris ita omnes docemur, ut Catechumeni olim fidei, legisque dogmata, priusquam Baptismi initiarentur ii Sacramento, ut quæ agenda, aut vitanda essent omni ætate, atque negotio probe scirent: idemque per Ecclesiæ Ministros singulis festis diebus audiunt Fideles, vel domi Parentum Filii, vel in Gymnasiis Magistrorum ope, atque hortatu. Quare importune id fieri omnino videtur, nisi graviora sint æque alia, quæ ab Oratore tractantur: ideoque sane arguendum censeo quemdam ex Concionatoribus nostris, qui cum primum de Sacrorum veneratione Templorum generice quædam posuisset, hisque tamquam præcipuis Altissimi Domibus omnem conferendum esse religionis cultum; eos totidem inde insectari objurgationibus cæpit, qui in iis, quæ sæcula-

ria

tia ſunt, quam quæ Spiritualia, & Sancta, mente revolvunt; qui liberis oculis non ſacris Myſteriis, ſed alienis quibuſque rebus animo incumbunt, qui de eorum agitandis quæſtionibus forenſes conſulunt Patronos, vel domeſtica tractant; intolerabilem denique mulierum inverecundiam, qua in ſe ipſas omnium oculos, cogitationeſque convertunt. Recte quidem, cum res quælibet communium argumentorum ope probata ſit, a theſi ad hypotheſim tranſitum fieri & Rhetores docent; nihilominus non Oratoris, ſed Sophiſtarum ſequimur munus, cum ita a majori veluti propoſitione, ad minorem argumenta ducuntur, Theologicas vel affectando doctrinas, quæ ad Cathedram magis, quam (1) ad ſuggeſtum pertineant, parumque, aut nihil ad Populi captum: proindeque a vulgari ſermone quam longe ſint, nemo eſt, qui plane non videat,

Quapropter cum in hujuſmodi cognitionis genere, ut Tullii utar ſententiis (2) in quo quid ſit id, de quo agitur, quæratur, duo ſint item genera, quorum in altero diſputandum eſt an aliud, an illud ſit, ut pertinacia, & perſeverantia; in altero

 au-

(1) Murat. El. prop. c. 8. (2) Topic. n. 19.

autem descriptio generis alicujus, & quasi imago exprimenda sit, ut qualis sit avarus, aut superbus; viderit Concionator maxime oportet, quid Auditoribus magis expediat: in Deliberativo enim genere, ut optimus quisque facit, cum Ecclesiasticæ, tum forensis artis Orator, attentis profecto cujusque juris rationibus, atque doctrinis, quibuscum omnia comparanda sunt; qualis sit alicujus rei vitii, aut virtutis natura, aut partes vel maxime ostendendæ sunt, quod homines ea vix quidem advertant, quam malum esse mala committere, quod raro, aut numquam inficiari quisquam audeat: in (1) rebus enim apertis argumentari tam stultum adeo putabat Quinctilianus, quam in clarissimum solem mortale lumen inferre. Nam præter id, quod dum aliam plures sequuntur disserendi methodum, illustrandis doctrinis magna impeditur orationis pars, quæ tædium auditoribus affert; minus quidem relinquitur loci ad arguendos impiorum mores, eaque explicanda, quæ de Finitæ cujusque quæstionis, seu causæ statu, partibus, atque magnitudine rei agenda plenissime sunt, quæque (2) ex rerum complexu,

(1) Quint. l. 5. c. 12. (2) Quint. l. 2. c. 5.

plexu, personarum, temporum, cæterorumque (tractantur). Verum id aliquando opus sit; (1) fortasse enim rebus ipsis jam cognitis commovebuntur, ut eos non oporteat majoribus eloquentiæ viribus jam moveri. Equidem, quamvis alterius etiam status, & generis causas egissent magni Græciæ Oratores, ipseque Romæ Tullius; id eos tamen usurpasse perspicuum habemus, ut non ipsam tantum rem, sed quæ ad hominem spectant, ut ajunt, quemadmodum & in Scripturis Sanctis, nec non Ecclesiæ Patribus, præ oculis jugiter habuerint, diligenterque explicarint. Si enim Orator Poetæ in multis (2) ornandi generibus socius est, ac pene par, quæ descriptionibus maxime præstant; quidni ex dictorum utique complexu probare, explanareque omnia, quod Illustratio, seu Evidentia appellatur; cum ex iis, quæ doctrinarum sunt, auctoritatibus, atque exemplis?

Præterea numquid eo fere modo ista tractanda sunt? (3) Non probo illos (ita Ludovicus Granata,) qui unam dumtaxat concionandi formam sequuntur, & quod semel faciunt, semper faciendum esse decer-

(1) S. August. ubi supra c. 12. (2) De Or. l. 1. n. 16.
(3) Reth. l. 4. c. 3.

cernunt. Id enim solutam, atque nativam concionem minime decet, qua libere omnia, varieque dicenda sunt; cumque Oratores isti Scholasticorum regulis de christiana Philosophia cum plebe ita pertractant, (1) vitium quidem vel maximum est (sicuti in foro causarum actoris) a vulgari genere orationis, atque consuetudine communis sensus abhorrere. Sin minus vero a populo, ad rerum quod attinet honestatem, atque utilitatem, intelligitur; (2) differenda sunt hæc, & secundum communes magis intellectus loquendum est: ut omni utamur eloquentia ad (3) commovendos auditorum animos, non quid agendum sit, ut sciant, sed ut agant quod agendum esse jam sciunt. Clama (ita Isaiam Dominus jussit) ne cesses, quasi tuba exaltata vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum (4): quod & cæteri omnes Prophetæ, atque Apostoli sæpe exequti diligentissime sunt. Hoc enim ex ipso intelligitur Ecclesiastici Oratoris munere vitia annunciandi, atque virtutes quæ quidem expressa similitudine, ac veluti egregia quadam

(1) De Orat. l. 1. n. 3. (2) Quint. (3) S. August. ibid.
(4) Isai. c. 58.

dam pictura, vividis morum coloribus significari maxime oportet: (1) summa enim eloquentia est amplificare rem ornando .... id desideratur ad fidem faciendam .... vel cum explanamus aliquid. (2) Qui ergo dicit cum docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse quod vult illi, quem docere vult. Lege, queso vel Magni Basilii sermones, aut multiplices Divi Chrysostomi ad Antiochenum populum Orationes, tam varie, ornateque expositas; quot enim in illis dicenda ediscimus, quæ pravas multasque respiciunt animorum affectiones, malitiam, calliditatem, imprudentiam, temeritatem, plurimosque opinanodi errores? Nonne denique ex his eloquentiæ fontibus veterum Greciæ Oratorum Conciones, ac Romanorum simul deductæ fuere, tum quæ in recentioribus leguntur, optimisque Historicorum libris? (3) In id ergo maxime nitendum, cum (4) ea sit orationis pars, quæ rem constituit ante oculos: id enim maxime attingit sensus; sed cæteri tamen, & maxime mens ipsa movetur. Ideoque & Reipublicæ ipsi Oratores eorum

(1) De Or. lib. 3. n. 27. (2) S. August. ibidem c. 12.
(3) Partit. n. 6. (4) Ved. Giac. Diedo Stor. Veneta.

rum omnium rationem (periti esse debebant), (1) quæ de naturis humani generis, ac moribus a Philosophis explicantur: quin imo præ cæteris omnibus, quod ad morum pertinet scientiam, semper Oratoris fuit, ut nisi tenebimus, nihil Oratori, in quo magnus sit, relinquamus.

Quam utili careant conciones varietatis beneficio.

CAPUT IV.

EX iis autem, quæ diximus satis clarum est, nullum esse posse Varietatis genus, quo in dicendo uti maxime refert: nam quod Ecclesiastici illi Viri suo quisque cæperunt instituto, idem, ut hucusque retulimus, fere omnes sequuntur. Magnum certe eloquentiæ istiusmodi vitium; nam cum (dictio) (2) prolixa est in uno genere, minus quidem auditorem detinet; cum vero fit in aliud ab alio transitus, etiamsi longius eat, decentius procedit oratio... quibus non sinuntur in eorum, qui audiunt, frigescere, vel tepescere sensibus. Hujusmodi autem (3) tractatio varia esse debet,

(1) De Or. l. 1. n. 15. (2) S. Aug. ibid. c. 22. (3) De Or. l. 3. n. 1.

debet, ne aut cognoſcat artem, qui audit, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate. Jam ad Infimum quod pertinet, atque Sublime orationis genus, utrumque dicenti opus maxime eſt; (1) nam interpoſitis, quæ dicenda ſunt, ſubmiſſus, bene reditur ad ea, quæ oportet granditer dicere, ut dictionis impetus, ut maris æſtus, alternet. Numquid enim, quod in ſenſibus quotidie experimur, idem prorſus animorum faſtidium haud pariet oratio? in qua, (2) ut ex poetis, vel oratoribus coniicere poſſumus, jam patet concionem diſtinctam, ornatam, feſtivam, ſine intermiſſione, ſine reprehenſione, ſine varietate, quamvis clara ſit coloribus picta, vel poeſis, vel oratio, non poſſe in delectatione eſſe diuturnam. Quapropter unumquodque ex recenſitis generibus audientium animos offendat neceſſe eſt, nedum illis aliquandiu placeat; non primum quidem, quod totum in voluptate poſitum eſt; non ſecundum, quod inornate expoſitum, ubique ſtatim langueſcit; non tertium denique, quod diſputationis nomen potius obtineat, quam Oratori conveniat.

Haud ita quidem in eorum concionibus,

(1) Idem S. ibid. (2) De Or. l. 3. n. 25.

bus, suum quisquis sequutus naturæ ingenium, Demosthenes, Tullius; nec in eorum poesibus, Homerus, Virgilius, Theocritus; nec in suis pariter libris, Chrysostomus, cæterique Patres: mirum est enim quam avide in iis percipiendis detineatur legentis animus, cum semel eorum scripta vix prægustata fuerint. Nam quid prohibemur, (1) si magna sunt ea omnia, quæ dicimus, novas inire philosophandi vias? atque alia excogitare argumenta? num quid nobis ad amplissimam dicendi rationem deest eadem cum singuli argumenti natura, tum ipsiusmet mentis ratiocinandi facultas? Etenim cum ea omnia, (2) quæ ars consumarit, a natura initia duxissent; omnibusque artis præceptis imbutus sit Orator noster, totque instructus jam Disciplinis; nihil illi facilius, ut iis, qui præcesserunt, par exibeat ingenium. Quod enim primum est, è Sanctarum certe Scripturarum thesauro præclaras ediscere erit, atque divinæ penitus Philosophiæ sententias, ex Sapientialibus maxime Salomonis libris, Evangelicisque lectionibus: (3) sapienter enim omnia dicit homo, tanto magis, vel minus, quanto in Scripturis San-

(1) Idem S. ibid. c. 18. (2) Quint. l. 2. c. 16. (4) Idem S. c. 8.

Sanctis magis, minusve profecerit. Præterea si quos commemorati sumus, Auctorum, Sanctorumque Patrum, cæterorumque optimorum scripta manu diligenter teras: nostris autem temporibus, maxime efflorescente Italica lingua, Ioannis Casa ad Carolum V. divinam prope orationem; easque Etruscos inter Auctores, quæ scelectissimæ habentur, atque Venetiis editæ nuper fuere, (1) donec illorum ingenium, & artem, omnemque eloquentiam sis plane assequutus. Nam qui (ut S. Augustini utar verbis) (2) non solum sapienter, verum etiam eloquenter dicere vult, quoniam profecto plus proderit, si utrumque potuerit, ad legendos, vel audiendos, & exercitatione imitandos eum mitto libentius, quam magistris artis Rethoricæ vacare præcipuo.

Ex his principuum eruitur in commovendis animis impedimeutum.

CAPUT V.

AT quis non videat ex hoc capite maximum oriri pro auditorum commo-

(1) Vid. Raccolt. di Prof. Fiorent. (2) ibid. c. 5.

motione impedimentum, in qua omnem Oratoris vim, atque victoriam sitam esse novimus? Nihil enim tam proprinm, atque utilius esse potest, quam cum alicujus rei veritas a nobis clare percepta fuerit, ex omnibus, quæ in ea continentur rationes, concionem statim instruere, cum sponte omnia, & singula maxime occurrant, ac totidem veluti ex uno fonte rivuli, pulcherrimæ quidem sententiæ, verborumque delectus. Hinc fervens adeo, & gravis in dicendo Demosthenes, quia non futilibus rerum argumentis, sed patriæ, ac civium suorum bono excitatus, nec non agendarum rerum magnitudine, ita in eorum afficiebatur comodum, gloriæ amplitudinem, atque felicitatem, ut inde potissimum maximæ laudis, ac omnium oratorum principis consequutus sit. Eadem omnino esto Ecclesiasticis Concionatoribus ratio: (1) ad supernum enim desiderium inflammare auditores nequeunt quæ frigido corde proferuntur: (2) & ut primum valeant apud nos, quæ valere volumus, afficiamurque antequam afficere conemur. Nam fieri numqam potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut

(1) S. Gaeg. in Past. (2) Quint. l. 6. c. 3.

ut pertimescat aliquid, ut ad fletum, misericordiamque deducatur, (1) nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi, atque inusti esse videantur. Cur autem est, ut tam frigide loquantur Concionatores nostri? id profecto, quod pauci sint, quos Prophetarum more læsi Numinis zelus, animarum perditio comedat, quique eorum lacrymis expetant populorum scelera deflere. Ut ea enim sponte fluant, quibus concionis idea instituatur, sedato animo excipiunt, dicendique argumenta; illaque plerumque ab editis Oratorum libris, tamquam ex aliorum officinis merces, magna ex parte transferre minime dubitant: sicque non suis quisque rationibus, sed aliorum verbis, atque sententiis ad plebem loquuturi accedunt; interim memoriæ fidei potius, quam auditorum utilitati incumbentes.

Multa ab iis quidem in eorum adducuntur concionibus, quæ si recte exposita essent, non mediocriter commovere animos possent. Magna enim ille quoque dicebat, qui Invidiam affirmabat vitium esse Dei charitati præcipue oppositum, cum ex eo odio habeantur, quæ in proximi bonum

 a Deo

(1) De Or. l. 1. n. 45.

a Deo conferuntur, parvi licet ſint illa momenti: vitium quidem dupliciter malum, quia ſimulata ſtudii ſpecie, atque virtutis induitur, ut noceat; in homine item crudeliter magis, quam in feris unquam ſæviens, quin ulla ſanguini, hoſpitalitati, dignitati, atque beneficiorum utilitati ratio ullo modo habeatur. Magna, inquam, hæc omnia, maximeque obſervanda. At cum ſingula curſim omnino ille perſtrinxerit, brevibuſque illuſtrata Scripturarum exemplis, minime quidem cum iis conferenda erant, quæ Divus Baſilius de Invidia præclare ſermocinando diſſeruit, mirifice omnia augendo, popularique doctrina, atque dicendi modo. Ea ergo & Concionatori noſtro, ad magnam affectuum commotionem, in illis omnibus, cum invidentis nequitiam, illataque damna, aperienda plane erant, tum dœmoniacas fraudes, omnemque nocendi artem prorſus detegere, graphiceque deſcribere oportebat: hæc enim omnia, ſi recte attendantur, in magno quolibet argumento ultro exequi ſolent commoti animi affectus, hancque & magni (1) homines tribuunt Chryſoſtomo ſummam, divinamque lau-

(1) Murat. El. pop. c. 8.

laudem, expetiturque vehementer in singulis Dei Verbi Ministris. Ita quidem Tullius in Catilinam, cum Romæ consulem ageret: toto enim inspectante Senatu, ipsoque audiente adversario, nefariam illius conjurationem ostendit, proscriptiones, incendia, Patrum, atque Reipublicæ clades; tantumque in dicendo profecit, apertis quidem, prout causa ferebat, non obscuris, elegantioribusque sermocinandi modis; ut solutis hostium machinationibus, conjuratisque cum sociis pulso jam Catilina, salva consisteret bonorum omnium, atque Reipublicæ salus.

Jamque Philosophia, rerumque usu docemur, (1) motus animorum, partim magnitudine rerum, partim earumdem præsentia, vel descriptione maxime concitari; idque omnigena quidem, tum verborum, cum sententiarum amplificatione: id enim, ajebat Tullius, (2) desideratur in omnibus, ad fidem faciendam, vel cum explanamus aliquid, vel cum concitamus. Sed in hoc, quod posterius dixi, amplificatio potest plurimum, eaque una laus Oratoris est, & propria maxime. Qua-

 pro-

(1) Gran. L. 3. c. 10.
(2) De Or. l. 2. n. 21.

propter, cum ad hoc perficiendum interiori careant igne è noſtris quidam Oratores, non divino ſolum, ſed naturali etiam ad proximorum ſalutem, recteque vivendi honeſtatem, ut illi vel in principiis dicendi frigeant opus eſt: ut acurata enim, ut miranda, ut inſtructa, ut elegantia, ut plena, ut longe conquiſita ſint exordia magis ipſi ſtudent, quam, ut in iis ſtatim neceſſe eſt, commovendi vim aliquam habeant. Frigent rerum amplificatione, ea, ſicuti jam expoſuimus, inverſo ordine, nec ſatis quidem tractantes; ut nihil, aut vix incitentur auditorum animi. Frigent denique cum ad perorandum pervenerint; quibus enim, veluti ſanguis in corporibus, defuit iſtiuſmodi virtus, audienteſque nullibi ante affecerant, eodem plane ſenſu deſinat oportebit oratio; vel ſi quid mirum forte attulerit, id citius ex animo, auribuſque prætervolet. Recte ergo, ſapienterque monuerat S. Hieronymus: (1) Docente te in Ecclaſia non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint. Præ iis enim, quæ in foro agitatur quæſtiones, longius in ſacris & principia, & cæteræ partes orationis habere

hanc

(1) Epiſt. ad Nepotian.

hanc vim magnopere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agitur, movendas permanere possint (1). Sed maxime proprius est locus in exordiendo, & in perorando. Libeat animo parumper expendere vel David psallentem, vel Paulum docentem, vel Joannem Dei amorem suadentem, quo impetu, qua virtute, quanta suavitate, quo studio legentes incendunt; cum id plane sit Apostolice loqui, non ut falso vulgus interpretatur, incultu, simplicique sermone. Nostri autem Concionatores in ea quidem Stoicorum sententia esse videntur, male nos uti posse animorum motibus, quique illos in judicum, seu auditorum mentibus concitant, scelus eos nefarium facere. (1) Verum quid hæc duo proferunt homini, qui & confitetur verum esse quod dicitur, & collaudat officium? . . . frustra persuadetur verum esse quod dicitur, frustra placet modus ipse, quo discitur, si non ita dicitur ut agatur.

His vero expensis, facile quidem intelligi potest, cur, dum cæteræ omnes scientiæ, natura præcipue duce, eo usque pervenerint, ut his nihil ferme addere liceat; sola Ecclesiasticorum hominum eloquen-

(1) S. August. ibid. c. 13.

tia non eamdem ſibi peperit laudem, imperfectuſque hujus liberaliſſimæ artis uſus plerumque ſuperſit; tum inani quidem, quam afferunt, verborum pompa, obſcuriſque ſententiis; tum humiliori dicendi genere; tum rectæ diſpoſitionis, ornatus, varieque loquendi defectu; tum vehementer denique, ad animorum motus, concipiendi, exprimendique ratione. Et licet in cæteris rebus exequendis non mediocrium tantummodo, ſed & maximarum artium ſtudiis optimi multi habeantur; plures etiam, excellenteſque Oratores proferri poſſint ſupra Eccleſiaſticos viros, vel in Reipublicæ recte, ſapienterque regendæ concionibus, vel pro Clientum defenſione, atque incolumitate, vel denique pro humanarum Legum obſervantia, coram Principibus, Judicibuſque mirifice dicentes; ut, ſicut de præclariſſimis exercituum Ducibus hiſtoria narratur, neque propius res attingere poſſent, nec luculentius, aptioribuſque verbis ab iis explicari, neque pro eorum dignitate, graviora expeti, atque politiora.

Prioris libri finis.



IN ECCLESIASTICUM

ORATOREM

NOVISSIMARUM ANIMADVERSIONUM

LIBER SECUNDUS.

Qualis esse debeat Orator, & quis hujus libri finis.

CAPUT I.



Aud parum esse momenti in dicendo rectum sequi naturæ institutum, fateor ego quidem, magisque aliorum in hac arte errores expendi, quam singulas ipsiusmet naturæ persequi leges posse, easque probe explicare: divina enim quædam res est istiusmodi in homine facultas, qua ille hominis vim quodammodo excedens, Deo quam ma-

maxime appropinquare videtur. (1) Quid namque esse potest, vel tam admirabile, quam ex infinita hominum multitudine illum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum vel solus, vel cum paucis facere possit? aut jucundum cognitu, atque auditu, quam sapientibus sententiis, gravissimisque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem (ut Cicero ajebat) unius oratione converti? Nonne præstantissimum divinæ Sapientiæ Donum, ut quæ olim cum multifariam, multisque modis loquuta sit in Prophetis, novissimeque in Dei Filio, eadem aliquando in ore sit nostrorum in Ecclesia Concionatorum, ut Fideles perpetuò eodem pascantur Dei Verbo, salutisque præcptis? At inde perspicuum maxime est, ut is sit opòrteat Christianus Orator, quem clarissimi Rhetoricæ artis Institutores scientiis omnibus instructum esse volebant. Tullius (2) enim eum solummodo Oratòrem plenum, atque perfectum esse, qui de omnibus rebus posset varie, copioseque dicere; nobisque eadem subest omnino, potiorisque muneris ratio, sine

(1) De Orat. lib. 1. n. 8. (2) ibidem.

ſine diligentiſſima perveſtigatione omnium rerum, quæ de naturis humani generis, ac moribus a Philoſophis explicantur admoveri orationem minime poſſe ad ſenſus animorum, atque motus inflammandos, vel extinguendos; (1) hæcque ſemper fuiſſe, quemadmodum juncta natura, ſic officio quaſi copulata, ut iidem ſapientes, atque eloquentes haberentur. Quidquid ergo in philoſophicis Scholis quotidie traditur de divinis, humaniſque rebus, de cæleſtibus, cæteriſque phyſicis notionibus, nec Oratorem noſtrum fugere quidem debet; nec quidquid Sacris continetur Scripturarum voluminibus, ut Dei attributa, divinæque Legis rationem intelligat; quidquid Sacrarum rerum hyſtoria, vel Eccleſiæ docemur temporibus; Theologiciſque demum inſtitutis, quibus Eccleſiæ, atque Sanctorum Patrum doctrinis imbuitur animus: iiſque & hiſtoricam adde omnium ſæculorum cognitionem, quibus cæterarum Gentium religio, qui mores fuerint ediſcimus, quibuſque jam nunc diverſa a nobis ratione, toto terrarum orbe regantur; graphicam denique omnium regionem, Populorumque notitiam, quibus puerorum

(1) ibidem.

rum veluti conditione exuti, patriæ, ætatisque nostræ finibus aliquando excedimus. His utique pulcherrimis, utilissimisque Scientiis si, ad illius perfectionem quod reliquum est, refertus Orator; si Dei Spiritu repletus, qui oratione, rerumque divinarum contemplatione attrahitur; si eximia animi præstantia, & robore; si dulcissima facultate dicendi comendetur; si jucundum omnibus vultum præseferat; si demum omni ornatus virtute populo se se audiendum exhibeat, vere sapientis nomen jure sibi adeptus fuerit; minimeque dubitandum erit, quin & magnos allaturus sit hujusmodi eloquentiæ fructus. Verum præclaro etiam mentis consilio ut plurimum valeat, frustra hic subiiciendum existimo; cum eloquentia ipsa de summis una virtutibus sit; illud inquam judicium, & ratio quædam alte petita, quæ omnia perpendens, & comparans, eligat alia, alia reiiciat, disponat; ut prudenter, & composite, & ornate dicat quibus cum agenda res est; (1) qui audiant, frequentes, an pauci, an singuli; tempus gaudii, an luctus, pacis, an tribulationis, festinationis, an otii: omni enim in re posse, quod decet

(1) De Or. l. 3. n. 55.

decet facere, artis, & naturæ eſt; ſcire autem quid, quandoque deceat, prudentiæ.

Huic ergo aliquam & nos facem ſubmittere audemus, boni cujuſquam amore, non præſumptionis loco; iis profecto ommiſſis, plurimiſque artis doctrinis, quæ innumeris propemodum habentur libris. Quid enim utilitatis ea omnia afferant, poſt emenſum longioris etiam temporis ſtudium? ut jure quidem Rhetores pulſi Roma fuerint Tullii cenſoris edicto, utpote quia præter hanc exercitationem linguæ, nihil eſſet doctrina, aut humanitate dignum aliqua ſcientia: nam quæ obſervanda jubentur Diſcipuli, quæque brevi admodum ſtudii curriculo percipi ab iis poſſunt, ut optimorum tantum Auctorum dicendi præſtantia agnoſcatur, eamque imitemur, conferre magis, non ad eloquentiam diſcendam, atque exercendam mehercule valent. Aliam ergo aggredimur viam eos allocuturi, qui omnia, quibus conſtat hujuſmodi ars, præcepta jamdiu didicerint, & quomodo in hoc, quod Anaximenes etiam Concionale genus vocabat, iis utendum ſit, agere tantum maluimus. Quare, ut cujuſque fere eſt optimi Artificis, ad V. nos item Capita revocanda om-

nia,

nia, cum Tullio, atque concludenda censuimus, quæ præclarissimæ Eloquentiæ usum spectant: reperire primum, quod dicat Orator (1); deinde inventa non solum ordinare, sed etiam momento quodam, atque judicio dispensare, atque componere; tum ea denique vestire, atque ornare oratione; post memoria sepire; ad extremum agere cum dignitate, & venustate: ea quidem componendi usus diferentia, quam hic tradere in Oratoris comodum in animo est, cæterisque præ Ecclesiasticis etiam Rhetoricæ libris, abstractioris illi utique, alteriusque qui a nostro, methodi sunt, ut quæ prima erunt, brevi sane negotio, comparari ab eo possint; vulgari scilicet naturæ ductu simul, ac præstantiori artis ingenio, atque doctrinæ. Nam si animi, atque ingenii celeres quidam motus in illo esso debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque sint uberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni; vix in hac quidem re aliquem ex iis facessere oportet; cumque subitam haberi posse concionem probaret Cicero, ultro etiam affirmavit, ut qui scribendi consuetudine ad dicendum venerit, hanc

(1) Odat.

hanc afferet facultatem, ut etiam ſubito ſi dicat, tamen illa, quæ dicentur, ſimilia Scriptorum eſſe poſſint. Sed operi manus jam admovenda.

Sapienti judicio opus eſſe in argumenti delectu.

CAPUT II.

AC primum, cum Oratoris munus tam grave, magnificum, divinumque ſit; cumque magis rei alicujus objecto excitemur, quo pulchrior, & gravior illa percipitur; id opus imprimis erit, ut ſibi dignum, & ad ciendos animi motus magnum quoque rerum dicendarum afferat argumentũ, vel quod hujuſmodi boni, ſeu mali vulgo habeatur, vel quod præter hominum opinionem magnum oſtendi poſſit; de iis enim in Suaſorio, vel Diſſuaſorio dicendi genere diſſerendum maxime eſt. Unde autem iſta? Si, quemadmodum in primo jam innuimus libro, ex Divinarum fontibus Scripturarum, quæ in illis frequentius reperiuntur, admiranda quædam excipiantur, pulcherrimæque Sapientiæ verba, atque ſententiæ; eaque ad ſua referantur, atque præcipua Chriſtianæ Doctrinæ Capita, ut

ut in Romano etiam Catechiſmo de quibuſque concionandi generibus, vel divinæ Scripturæ interpretationibus, ſapientiſſime traditur. Hujuſmodi autem ſunt vel Samuelis ad Saul objurgatio ſimul, atque admonitio: melior eſt obedientia, quam victima; itemque David: impietas ab impio erit. Hujuſmodi rurſus innumeræ Salomonis ſententiæ, ex uberrimis veluti locis, erutæ ſapientialibus Libris; hujuſmodi Sacratiſſimæ Evangelii Doctrinæ; vel cum ſæculi divitiæ ſpinæ vocantur; aut cum legitur: qui amat animam ſuam, perdet eam; vel denique cum docet Apoſtolus: corrumpunt bonos mores colloquia prava. Quibus haud inconcinne veterum Philoſophorum monita conjungere quoque liceat, eaque divinis verbis, ſententiiſque, ut dictum ſuperius fuit, probare, cum a ſumma Dei veritate, in hominum mentibus quandoque illuceſcente, edocti illi fuiſſent, ut Solonis dictum: nonniſi poſt mortem quemquam vocari beatum; Biantis ſimiliter: infelicem, qui infelicitatem ferre minime poſſet; & Valerii Maximi: non plura habere, ſed pauca ſibi optare, divitem afficere; quæque nos ex quotidiano rerum omnium uſu fere uſurpamus: ut ni-

hil

hil demum ille possideat, qui sibi omnia curàt; id proximum esse cuiquam mali, quod aliis intentat; sponte labi ex arbore pomum, cum ad maturitatem pervenit, ut sceleratorum hominum finis aliquando significetur; aliaque plurima.

At, quamvis magna sint, quæ tradenda suscipimus, ea nihilominus, ut aliquam referant utilitatem, opportune quidem proferenda Auditoribus sunt, summoque in rebus disponendis judicio, atque consilio Oratori opus est, quid dicendum illi sit, quid tacendum, ne communia solummodo, quo ordine, quo stylo, quo denique concionandi genere; ut quibuscumque loci, temporis, personarum, cæterorumque circumstantiis accomodata sint, ut Dei Verbi Minister se omnibus omnia factum esse profiteri rectissime possit, singulisque ea præbere doctrinæ alimenta, quæ spiritum augeant, (1) prout cujusque exigit ætas, ingenium, conditio, mores. Neque enim fortuito, & sine hujusmodi rerum singularium inquisitione, atque prudentia, quidquam Artifex omnis molitur, neque ædificium Architecton, neque simulacrum Statuarius, neque Musicen Cantor instituit,

(1) In Catech. Præfat,

tuit, neque inftruit exercitum Dux, nifi iis omnibus, quæ conveniunt, quæque opponuntur expenfis: (1) nam qui aut tempus quid poftulet, non videt, aut plura loquitur, ut fe oftentet, aut eorum, quibus cum eft vel dignitatis, vel comodi rationem non habet, aut cuique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eft, is ineptus eft. Nec enim aliunde Ecclefiæ Patres tam egregias inftituebant, (2) expoliebantque conciones, adeoque incendebantur vel Martyres alloquendo cum perfecutionis fervor magis magifque in Chrifti arderet Difcipulos; vel cum Nati Domini commoverentur Myfteriis, cæterifque Reparationis noftræ folemnitatibus; vel jejuniorum Tempora, publicæque expiationis dies ii recolentes; vel denique præcipuorum Natalitia Sanctorum; iidemque Heliam imitati, quam acriter impiorum hominum mores, atque inventa infectati maxime funt? Magnopere ergo ab inftitutis recedunt, nec fatis quam optimus fit opportunus fermo dignofcunt profecto Oratores, qui aut vitia exaggerant, quæ Audientibus imputari vix poffunt, aut præter Ecclefiæ fenfum,

&

(v) De Or. l. 2. n. 4.
(2) SS. Cyprian. Leo Magn. Greg. Naz.

& morem, argumenta pertractant, quæ solemni cuiquam Festo diei, institutique Temporis rationi minime congruunt, spemque Fidelium longe decipiunt, eorumque detrahunt bono; aut in communi animorum, nec non multitudinis commotione, ea tunc maxime reticent, quæ dicenda utiliter essent, ut Prophetarum modo eos ad pœnitentiam provocent, qui ira Dei flagellantur; quod Neocæsareensis Gregorii opera impletum sapientissime historia novimus, ut illius urbis cives ad Christianam fidem converteret, dira tunc Romanum Imperium affligente ubique pestilentia.

Primo animi motu omnia excogitare, atque disponere.

CAPUT III.

NUllum certe, quod alterum ad Oratoris bonum pertinet, tempus magis aptum sit, quam, cum rerum novitate perculsa, excitataque mens, promptiorem quamdam vim habet, tum in rebus omnibus gignendis, tum facultate dicendi. Haud secus enim causarum Patroni primum sylvam rerum, ac sententiarum comparant, quam forment deinde filo ipso,

& genere orationis, illuminent verbis, varientque ſententiis, cum a Cliente rei alicujus ſtatum omnino didicerint: quodque divino afflatui tribuebant Philoſophi Poetarum furoris, id verius quidem Sacris Oratoribus evenit, qui ſe ad dicendum commovere maxime ſentiunt. Quid enim credere prohibemur magnum eſſe Dei donum, atque luminum Patris, cum repente mens ipſa movetur, ſtatimque veluti è nubibus coruſcantia fulgura, plura irrumpere verba, ſententiæ, atque argumenta certatim exire contendunt? nec aliter ſane, tum priſcis omnium temporum Prophetis, tum vel ipſa Pentecoſtes die, litterarum rudibus Apoſtolis contigit, plurimiſque deinde Eccleſiæ Patribus, quos extemplo ſæpe dixiſſe eloquentiſſime audivimus. Haud igitur prætermittat Concionator noſter tam opportunum, plurimique faciendum tempus; hæc enim illa hora eſt, qua & ipſis Eccleſiæ Oratoribus, Dei legatione fungentibus, quid loquantur det Spiritus Sancti gratia; nihilque facilius ſit, quam hujuſmodi ſequentes diligentiſſime afflatum, ut ea omnia animo occurranr, quæ in unaquaque re dicenda ſunt, omniſque concionis ordo, eoque in affectu cum præcipue im-

mo-

moramur, quo in præsentiarum magis erga eos, quibuscum dicendum erit, delectamur, atque movemur; (1) eo, quo fere modo poeticæ compositionis ratio a Muratorio optime traditur.

Causa ergo ab Oratore penitus cognita, & quæ illius maxime propositio; Dei invocet auxilium, ut (2) rectum sermonem, & bene sonantem det in ore ejus; deinde vero, cum rei Gravitatem, vel Utilitatem, vel Jucunditatem, vel Honestatem denique vehementer conceperit, in iis, quibus Auditorum animi hortandi, sive dehortandi erunt, mentis aciem convertat, & quomodo eos argumentis, nec non argumentationis modo docere, itemque refutare; quo delectari magis possint ornatu quodam illustri, idoneoque dicendi genere; quibus demum ea omnia augere, vel e contra minuere, quibusque affectibus moveri; quodnam orationis exordium magis conveniat, quæ perorationis forma, potiorque conclusio; colligatque jam tunc sapienti animo, quæ præstantiores videntur sibi rationes, naturalis scilicet, quæ inesse rebus possunt, nec non moralis Philosophiæ, Theologicasque auctoritates, quæ singillatim

(1) Perfett. Poes. (2) Hest.

tim cum, ut moris est, totidem in Partes distincta fuerint, iis, quibusdam veluti Demonstrationibus, illam probet, quam sibi assumpserit gravissimam, Populoque jucundam Sententiam. Cum vero non eloquentia ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum prodierit, eo statim ordine, qui Oratoris menti optime occurrerit, concionem ipsam instituat, (1) vividam profecto, optimisque illustrata imaginibus, sublimem, nativam simul atque amoris plenam. Illi autem vix consulendum Communia Rhetoricæ Loca opus quidquam erit; copiose enim ex ipsis animi motibus fluunt argumenta, & verba, quæ Etymologia nominis, rei Definitione, Genere, Specie, Causis, Effectibus, contineri solent; Antecedentibus, Concomitantibus, ac Consequentibus, Similibus, Comparatione, Contrariis, Repugnantibus, atque Circumstantibus; quibus, aut quare, aut ubi, aut quando, aut quomodo, aut per quæ, in omnibus requiritur; vel iis, quæ Inartificialia vocat (2) Aristoteles, Lege, Fama, Tabulis, sive cum Deo, hominibusque expresse Conventis, tacitove jure, Juratis etiam verbis, ac Testibus; vel

iis

(1) Murat. Eloq. pop. c. 7. (2) Rhet. l. 1.

iis demum, quæ Exornationis ſunt, Perſonarum genere, patria, auguriis, virtutibus, ſcientiis, artibus, fortunarumque caſibus, mortis genere, cauſa, funeriſque honoribus; nam & mixto hoc orationis genere opus ſimiliter erit. Quibus de rebus ſe etiam egiſſe ſupervacuum (1) Fabio videbatur; fere enim cuique ſtatim apparet quid in vitium quodlibet, quid pro virtute dicendum ſit. Quid enim de iis vel Chryſoſtomus, ſive Antiochenum, ſive Byzantinum populum alloquuturus? quid apud Livium, cum Italiæ Alpibus inſideret Hanibal, deque ſubiiciendis in conſpectu regionibus, ad milites, & Duces concionem haberet? quid apud Quintum Curtium Magnus quoque Alexander cum Darii exercitu jam jam pugnaturus? quid Homerus denique, Virgilius, Deos, Heroas, Duces, Legatoſque ſæpe loquentes quiſque induceret? (2) illa enim implent, quia eloquentes, non adhibent, ut ſint eloquentes, quicumque eloquentiæ facultate natura præditi ſunt. Hanc ergo (inquit Tullius) (3) vim intelligo eſſe in præceptis omnibus, non ut ea ſequuti Oratores eloquentiæ lau-

 dem

(1) l. 5. c. 12. Inſtit. (2) S. Aug. l. 3. de D. G. c. 3.
(3) De Orat. l. 1. n. 32.

dem sint adepti, sed quæ sua sponte homines eloquentes facerent & quosdam observasse, atque id egisse. Isque maximus denique studiorum fructus, quidni esse debet, & præmium quoddam amplius longi laboris, extempore etiam dicendi facultas, quam qui non erit consequutus, Fabii quidem sententia, civilibus officiis renunciabit, & solum scribendi facultatem ad alia potius convertet. Nec Apelles profecto, nec Parasius, veteribus adeo celebres, cum in tabulis formas, lineis, & ductibus adumbrarent; Phidias marmorea simulacra primum effingeret, quæ Romæ adhuc spectantur; nec Orpheo quisquam similis lyræ cordas pulsando; vel iste musicæ, sculpturæ illi, & picturæ artis rationi plus ut impenderint credendum est, quam iis, quibus pingendo, sculpendoque, & pulsando, motibus excitari sentiebant.

Neque a naturali hujusmodi ingenio longe quidem erit, ut vel Geometricas ratiocinandi regulas haud incongrue sequamur, quibus egregie quidem perficitur, si rem ipsam, orationēque prius instituat Orator, quam deinde proprio sui stylo audientibus expositam habeat; rei scilicet ope Definitionis, Axiomatum, Consectariorum, quæ

varie

varie ex præmissis deducere possumus: cujus rei, quantum cuique secum imprimis fas est, in unoquoque, tum publico, tum familiari sermone, satagere utilissimum foret. Equidem, ut optimo cuicumque Geometræ Viro firmissimum hoc differendi acumen tribuit natura, tam proprium Oratoris, cum Tullio Fabius censebat, ut Scientiæ hujus facultate carere numquam posse docuerit. Nosque, ut Muratorius quoque observavit in suo de (1) Populari eloquentia libello, ab indoctis quotidie, doctisque simul fieri videmus, qui prout amore, vel odio affecti sunt, acute subtiliter inveniunt, acriter disputant, amplificant, varie ornateque omnia exaggerant, atque concludunt: quin Barbari ipsi (ita Lisiæ opinionem referens (2) Quinctilianus) & servi pro se cum loquuntur, aliquid dicunt simile principio, narrant, probant, refutant, & quod vim epilogi habet, deprecantur. Quis ergo ibit inficias (3) hujus summæ virtutis facillimam esse viam? naturam utique intueamur, hanc sequamur; si quid enim boni in arte invenire est, miramurque omnes, id profecto totum illi tribuendum in primis erit.

(1) In Præf. (2) l. 6. c. 3. (3) Quint.

Quibus artis regulis inventa ad docendum perficere.

Caput IV.

QUamvis, ut vera ſit, unam eſſe oportet Eloquentiam; nihilominus quot Oratores, totidem eſſe concionandi modos fere conſpicimus; non enim eadem eſt omnibus dicendi vis, atque facultas, (1) natura ſiquidem nulla eſt, quæ non habeat in ſuo genere res quamplures diſſimiles inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur: idque Philoſophi non tam animorum virtuti, quam ſanguinis, corporiſque habitudini, affectionibuſque tribuendum non immerito exiſtimant. Quapropter cum multos Græcorum, ac Romanorum Oratores Tullius quoque recenſeat, varium ipſe nihilominus in unoquoque fuiſſe eloquentiæ modum advertit: ſuavitatem Iſocrates, (2) ſubtilitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Æſchines, vim Demoſthenes habuit; quis tamen eorum non egregius? tamen quis cujuſquam, niſi ſui ſimilis? Gravitatem Africanus, lenitatem Le-

(1) De Orat. lib. 3. n. 7. (2) ibidem.

Lelius, aſperitatem Galba, perfluens quiddam habet Carbo, & canorum; quis horum non primus illis temporibus fuit? Hæc nos quidem ſingulis Eccleſiæ Patribus, tanto licet diſſentiant illi ſtylo, ac genere dicendi. Facilitate enim, copia, atque ſuavitate Cyprianus; abundantia verborum, & quodam cothurni eloquio Ambroſius; ſubtilitate, atque multitudine argumentorum Auguſtinus; gravitate, nec non artificio Hieronymus; aurea Tullii dictione Chryſoſtomus; dicendi magnitudine, ac nobilitate ſermonis Leo Magnus; exquiſitis morum ſententiis, uberrimaque facundia Gregorius itidem Magnus; nativæ, faciliſque eloquentiæ fonte Lactantius; in dicendo dulcis, in docendo, ac differendo ſubtilis Fulgentius. Quamdam ergo, peculiaremque ſui artem inducat Orator noſter, quæ non ſervile, ſed liberum exhibeat eloquentiæ ingenium, & quo ſponte abripi ſentiat, illi vel maxime obſequatur eloquii generi, ut ea, quæ dicenda ante repererit, perficere, ornareque admodum poſſit: eſt enim, etiamſi minus neceſſarium, non illiberale, ut eo quoquomodo utamur.

Idqûe in primis caveat ille quidem, quod, cum in ſuadendo, aut diſſuadendo nihil ſit

opta-

optabilius, quam dignitas; magnifica enim oratione gaudet Populus, gravi Senatus, & brevi, quotidiana familiarique ſinguli homines; cum dignitate omnia docendo exprimat; ſingula nempe argumenta, nec non argumentationis modum mirifice ubique tractando, Geometricam & ipſe Evidentiam imitatus; quam præcipuum orationis nervum, & robur conſtituere quidem licet; ut veritatis lumine vi omni percellantur Auditorum mentes. Quam maxime vero poterit civili, (1) & humano ingreſſu meriri aſſenſum debet; cur enim, niſi forte ſubita, atque inſueta abreptum poſtulet exordium, torrens, & utique æquabiliter concitata ſit dicentis oratio, cũ vel præcipue moderationem, rationemque conſilia deſiderent? nihilque ſit in natura rerum omnium, quod ſe univerſum profundat, & quod totum repente evolet: ſic omnia, quæ fiunt, quæque aguntur accerrime, lenioribus principiis natura ipſa prætexuit. In judiciis quidem, conſiliiſque ſecundum conditionem ipſius, quæ tractabitur, rei, accomodanda eſt dicendi ratio; argumenta, prout cauſæ cujuſque genus poſtulat, diſpoſita ſint: hoc uno excepto, ne

(1) idem l. 5. c. 12.

ne a potentissimis, ad levissima decrescat oratio; sed a minoribus ad majora ordo sumendus; neque omnibus, quæ inventa erunt, argumentis onerandi sunt Auditores, sed iis tantum scelectis, quæ potiora videntur, satisque, cum ad suadendum, tum ad animos commovendos; quæque, vel scripta, vel extemporali oratione tractando, sustinere viribus possit Orator, atque integra mentis acie; breviori autem methodo, & sibi, si extempore præcipue dixerit, nec non Audientium bono; pro libito enim quæ proponenda sunt, atque probanda eliguntur, non Advocatorum lege pro Clientum causis; nam & pauca luculentius explicantur, & facilius animo retinentur.

His itaque dispositis, omnis quidem oratio ut simplex & gravis, & sententiis ornatior, quam verbis ubique incedat, curandum illi potissimum erit. Ea vero cum non tam apud Oratores, quam Grammaticos etiam, ipsiusque (1) Italicæ linguæ clarissimum Bembum, tres ut habeat virtutes necesse prorsus sit, ut emendata scilicet, ut dilucida, ut ornata enuntietur; id equidem usitatis maxime verbis fieri curet Orator,

(1) De Or. L. 3. n. 13.

rator, ac proprie demonſtrantibus ea, quæ ſignificari, ac declarari volumus, & ut rerum dicendarum magnitudini plane reſpondeant; ut eloquentiſſima Divi Pauli ad Hebræos Epiſtola, Chriſtianae Fidei veritatem invictiſſime ſuadentis; Tullii etiam pro Lege Manilia de Imperatore eligendo, Quirites adhortantis; ac Philoſophiæ Boetio ſpecie tenus objectæ, cum in carcerem conjectum ſceleſtiſſimis Providentiæ rationibus conſolaretur. Itemque ſine ambiguo verborum ſermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quæ ſimilitudinis cauſa, ex aliis rebus transferuntur, metaphoris nempe, allegoriis, cæteriſque. Suis deinde ſententiarum figuris, quas Oratoris menti occurrere propius contigerit; Antitheſis quæ ſunt, Suſtentatio, Cõmunicatio, Correctio, Similitudo. Uſum vero Exemplorum nulli materiæ magis convenire merito omnes conſentiunt, cum plerumque videantur reſpondere futura præteritis, (1) habeaturque experimentum veluti quoddam rationis teſtimonium. Quam ſapienti porro animi facultate hiſce natura verborum, atque ſententiarum utatur dicendi figuris, inde

(1) Quintil. l. 3. c. 10.

inde perspicuum maxime est, quod in affectibus vividior appareat Orator, nec languescere orationem sinit; clarior secum, & cum Auditoribus perspicatiori utens loquendi modo; fortior illa demum eo quod magis intellectui, & sensibus obvia: non enim fortibus modo, sed fulgentibus armis cum in (1) Cornelii causa præliatus esset Cicero, non judicem solum docendo assequutus est, sed eo usque, ut populus Romanus admirationem suam non tantum acclamatione, sed etiam plausu confiteretur. Quoties autem, & si id aliquando forensis Orator, Antiochiæ Cives, atque Bizantii, Chrisostomi conciones excepisse intelleximus, aliorumque Sanctorum Ecclesiæ Patrum, divina eorum facundia, atque ornatu? ipseque Chrysostomus cum Pauli Apostoli atteste Epistolas legeret, non sibi verba proferri, sed tonitrua audire putabat. Hieronymus vero sermonibus Job, qui & hisce eminent præcipue virtutibus, adeo delectabatur, ut omnes in iis cum Eloquentiæ, tum Dialecticæ leges inesse mirifice admiratus sit. En ergo cur præ cæteris maxime arrideant optimorum scripta Auctorum, qui illis Rhetoricæ artis præ-

(1) idem l. 8. c. 6.

præceptis egregie commendantur; displiceant vero qui eloquentiæ spiritu, & nervis deficiunt.

Haud integre tamen, satisque muneri esset, si quis relinqueretur iis, quæ contra afferri possent, dubitationis locus. (1) Confirmatio enim, & Confutatio & natura, & utilitate, & tractatione conjuncta maxime sunt. Quin in reiiciendis totus aliquando esse debet Orator, vel cum Dei justitiam plus æquo verentur Fideles, vel impœnitentiæ mora audacissime peccantes sibi confidunt; vel quodcumque animæ perdendæ discrimen subire illi contemnunt: (2) tunc enim neque reprehendi quæ contra dicunt, possunt, nisi tua confirmes, neque ea confirmare, nisi illa reprehendas. Cumque Defensoris veluti partem sustineat Orator, tota ea in Refutatione posita est; (3) nempe ut in judiciis contigit, neget, defendat, transferat, excuset, molliat, avertat, despiciat, derideat, quidquid obiici noverit.

De

(1) De Or. l. 2. c. 8. (2) idem.
(1) Quint. l. 5. c. 13.

De iis, quæ ad delectandum pertinent.

Caput V.

HÆc pro docendi munere. At magnum quoque studium in delectatione ponendum esse quis nesciat? Si enim pro summa Populi Romani dignitate, gravissimisq. (1) Reipublicæ causis, genus dicendi grandius quoddam, & illustrius adhibendum esse Tullius censebat; majus quidem Christiano Oratori, cum Populo Dei loquuturus sit, summisque de Religionis, atque æternæ salutis rebus. Quem ergo (& in Ecclesia dicentem) stupefacti intuentur auditores? in quem exclamant? quem Deum, ut ita dicam, inter homines putant? (2) eum sane, qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate, & verbis, & rebus dicit, & ipsa oratione quasi quemdam numerum, versumque conficiunt (singula, quæ digna sunt plane dividendo, propriaque declaratione, atque ornatu Poetarum more perficiendo) id est, quod ornate dicebat magnus eloquentiæ Magister: idemque, omnino præsefert divinæ Sapientiæ liber; Prophe-

(1) De Or. l. 2. n. 32. (2) Ex l 3. n. 14.

phetæ ſimiliter cum Populorum vitia arguerent; Apoſtolus Paulus ad Romanos maxime Epiſtola; cæteroſque præter Eccleſiæ Patres, Sanctus quidem Hieronymus, & Leo Magnus excellunt. Præclare ergo patet, quantus in delectatione, ſententiarum, ſchematum, atque verborum uſus ſummopere eſſe debeat; (1) quibus quaſi luminibus diſtinguenda, ac frequentanda, ſive exornanda omnis oratio. Has inter, ut in adductis exemplis, (2) morum, & vitæ Imitatio, ſive Ætopeja, magnum quoddam ornamentum orationis, & aptum ad animos conciliandos vel maxime; Perſonarum ficta Inductio, vel Proſopopæja, vita etiam, & ſenſu omni carentium, graviſſimum quoque erit lumen concionis augendæ; perque Apoſtrophem, cum ad eaſdem, vel Superos ſermo convertitur; Deſcriptio denique, ſive Hypotypoſis, qua non legi, nec audiri, ſed cerni propemodum res videatur; iis etiam Similitudinem junge, ornat enim valde orationem, facitque ſublimem, floridam, jucundam, mirabilem; quoſque altero retulimus capite, verborum tropos, è propria nempe ſignificatione in alienam, cum venuſtate quadam, ac dignitate; nec ver-

(1) lib. 3. n. 52. (2) ex lib. 3.

verborum ſolummodo, ſed orationis etiam, cum in eorum uſu aliquanto immoratur; ut enim docendi vim habent, leporem alias habere etiam poſſunt, ad magnam animorum voluptatem. Quid namque & Moyſis, quæ in Exodi, ac Deuteronomii libris referuntur, eloquentiſſima omnium veteris Teſtamenti Cantica? quid laudati Job Sermones? vel jucundiſſima Sponſam inter, & Sponſum Canticorum colloquia? Quid apud ipſum Bembum Heremitæ cujuſdam Viri ſapientiſſime de Amore Divino expoſita oratio? (1) Præ illis tamen nihil præclarius afferre in concionibus poteſt Orator, quam ſi quod in Chryſoſtomi laudem maxime adducitur, omniumque Eccleſiæ Patrum, oratio omnis divinis Scripturarum verbis, ſententiiſque frequenter ornetur. Quid enim vel auribus jucundius æternæ Sapientiæ dictis, vel animæ dulcius his ſuper mel, & favum exquiſitis omniũ eloquiis? vel ad cordis uſque interiora, quæ ſpiritu comedantur, ſuavius pertingere uſquam poterit?

At ſicuti rerum omnium varietas, quæ univerſo, quem oculis cernimus, orbi tantam infert ordinis pulchritudinem; ita

(1) Aſol. l. 3.

Oratores noſtri variam quoque dicendi rationem, ut adhibeant ſæpe meminerint, propoſitumque concionis argumentum interdum vel ex iiſdem locis concludere, relinquere alias, alioque tranſire; (1) ſæpe non proponere, ac ratione ipſa afferenda, quid proponendum fuerit declarare; nec iiſdem in Confirmatione locis ſemper expoſitis; eorumdemque verborum ſonitu, numero, inducta varietate; nec eadem Confutationis ratio uno, alterove capite adjecta; nec unus diſputandi modus; neque idem Schematum uſus, vel dicendi ſtylus; vocis denique nec idem ſonus, quo nihil magis tædium Audientibus affert. Hancque eloquentiæ, Tullio ipſi probatam varietatem, recentioribuſque (2) Italicæ linguæ Magiſtris, cum ſermocinandi naturæ magis conveniat, liberioremque præſtet homini facultatem; illi ſolummodo audeant, credo ego reprehendere, qui Scholaſticorum potius regulis, rejectaque differendi methodo delectantur, quam nativa Logicæ facundia, nec non Rhetoricorum arte, quibus & magni Viri vel in philoſophicis rebus uſi maxime ſunt. Eos igitur imitari curent quam diligentiſſime

(1) De Or. l. 2. n. 42. (2) Proſe del Bemb.

me, qui cantum certis modis, ac numeris ſapienter inflectunt: ii enim (1) aliquid in primis ſubmittunt, modus deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, diſtinguitur; cumque ea in oratione tacita quædam exclamatio excitata fuerit, illa quoque in dicendo admiratio, ac ſumma laus umbram quodammodo habeat, & receſſum, quo id magis, quod illuminatum erit, extare, atque eminere videatur. Cumque id ex triplici dicendi ſtylo confici maxime poſſit, humili, mediocri, ſublimi; ex omnibus quidem D. Pauli Epiſtolis, una cum Job ſatis numquam laudandis allocutionibus, vel diſputationibus, clariſſima omnimodæ eloquentiæ exempla percipere cuique licebit.

Quis in affectibus modus eſſe debent.

CAPUT VI.

SI quis in affectibus magnus eſſe debet dicenti uſus, is certe in Deliberativi generis oratione; tota enim in commovendis animis concio eſſe debet, ut in amplectendo graviſſimæ rei conſilio impellantur maxime Auditores. Jam in docendo quæ dignitas ſervanda ſit, ſatis diximus ſupe-

(1) Lib. 3. n. 26.

riori capite; idque unum præcipue in Christiano etiam Oratore expetitur, quod Rhetor in suis, ut omni bonitate commendetur, non quid mite solum exhibens, sed humanum, & audientibus amabile, atque jucundum: quod & in Christo Domino, atque æterni Patris Sapientia maxime futurum Isaias aliquando prædixerat; eoque modo non ne a fine usque ad finem attingit illa, fortiter suaviterque cuncta disponens? difficile enim dictu est quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis. Verum cum in exordiendo ea statim habenda cura sit, ut pro reliqua omni oratione optime disponantur Audientium animi; idque, vel ex intimis causæ visceribus, vel a personarum, rei, loci, temporis adductis circumstantiis, vel a simplici nudaque rei expositione, vel a contrariis, vel ab insigni aliqua sententia; gravioribus certe, illustrioribusq; figuris tum verborum, tum, quas hic subiicimus, sententiarum, a cõmuni quidem dicendi consuetudine remotis. In argumentis vero exponendis animadvertendum maxime erit, ut quæ præcipua esse possunt, evidentiori quodam loquendi modo, propriisque figuris vi omni, atque ornatu exhibere nitamur. Totus

enim

enim desidarabilis erat Canticorum Sponsæ Dilectus, nihilque in eo, quod venustum, optabile præsertim non haberetur; verum tanta oculis ejus suavitas inerat, ut Sponsæ ipsius animum advolare statim ad eum facerent; tanta labiis item dulcedo, ut in favi modum stillantis, verba profferrent, cumque eam alloquerentur, liquefieri animam sentiebat.

Hic porro memoriæ sunt repetenda, quæ alterius capite libri, de Affectuum commotione exposuimus, ne quid in primis ommittat Orator, ut vehementi quodam, copiosoque dicendi genere in iis, quæ potiora sunt, vel rei Dignitatem, & amplitudinem ostendat, vel Indignitatem gravioribus, splendidisque verbis, aut rerum ennumeratione, aut cæterarum comparatione, ita ut animos feriat, permoveat affectus, suique in sententiã abripiat. Meminerit etiam oportet, quod maxima concionandi pars admovenda sit ad animroum motus, quos jam mente conceperit Orator, pro ut quisque nascetur, vel denuo excitatus fuerit; nunc Amoris, vel Odii plena oratio verbis, atq; sententiis; nunc Desiderii, aut Iræ, Spei, vel Timoris, Gaudii, sive Tristitiæ, Admirationis, Commiserationis, Æmulationis, Vere-

cundiæ, eorumque omnium, quibus incitari umquam contigerit: adeo veluti ſpiritum omnis concionis, atque animum in affectibus eſſe deprehendimus. Quinctilianus enim ſuimet experimento, ac natura ipſa duce illud acceperat, quod in movendis affectibus ſumma poſita eſſet, ut in primis ipſi moveamur. Nam & luctus, & iræ, & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio (1), ſi verba, vultumque tantum, non etiam animum accomodemus. At quomodo fiat, ut afficiamur? per eas quidem, inquit, imagines, quibus rerum abſentium ita repræſentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur. Quodque in ſomnis, vel cum de præclaro, aut miſerando facinore nobiſcum cogitamus, uſuvenire nonnumquam ſolet, cur non id facillimum erit, ſi graviſſima cujuſque rei bona, aut incomoda, voluptatem, aut turpitudinem, laudem, aut infamiam, præmium, aut pænam, inſtantemque neceſſitatem animo ſerio expendamus, videque fingamus? hæcque quiſquam bene cæperit, is in affectibus non potentiſſimus erit? uti ſedens Jeremias, flenſque vehementer Jeruſalem mala, excidiumque, volvebat; & Moyſes

(1) Lib. 6. c. 3.

ses futuras Prævaricantium punitiones antea prævidit; omnesque Prophetæ ex eo etiam nomine dicti, quod utriusque Judæ, atque Israelis Populi mala videntes fuissent. Hincque singularum rerum Illustratio sequetur, quæ & Evidentia dicitur, ut Orator non tam dicere videatur, quam ostendere, sicuti in Prophetis ipsis cernere est; affectus autem non aliter futurus, quam si rebus iisdem revera interesset.

Huic ut satis fiat praeclarissimo Oratoris muneri, quædam subiiciunt Rhetores dicendi schemata, quæ in optimis quibusque Auctoribus advertere fuit; quæ quidem, cum una eademque natura nostris quoque inesse Concionatoribus possint, verendum minime erit, ne sua sponte idem & ipsi perficiant. Ea vero sunt, vel una in re Commemoratio, sive Exornatio, & illustris (1) Explanatio, rerumque, quasi sub aspectum gerantur, Subjectio. Dubitatio item quomodo cum Auditoribus sit Oratori dicendum; tum duo illa, quæ maxime ad movendum quoque sunt, Similitudo, & Exemplum; Præteritio, & Reticentia; urgens quæsitæ rei Interrogatio, sibique de eadem aliquando Responsio; Exclamatio, Epipho-

(1) De Or. l. 3. n. 53.

nema, Admiratio, Oratoris Deprecatio; Promiſſio etiam, Objurgatio; dolenſque imminentium malorum Vaticinium, & Minæ. His maxime ornatur divinus plane Pſalmorum liber, in iis, quæ mores præcipue reſpiciunt, varioſque Pſallentis affectus, caſus, opem, & ſpem, vel denique impiorum pœnas; gemebundi ſimiliter Ezechiæ Regis canticum; Prophetarum Invectivæ; Jeremiæ Threni; Apoſtoli Paoli ad Corinthios Epiſtolæ; ut alia mittam inſignia utriuſque Teſtamenti loca. His quoque & S. Hieronymi in Vigilantium tractatus; movent denique, ad lacrymas uſque ciendas & S. Cypriani ad Martyres Litteræ, ejuſque ad populum conciones. Homerus autem quantus in affectibus, Priami in oratione, Achilem pro Filio rogantis? Virgilius item Æneæ Matris, cum Jovis opem Filio, Nepoti, Trojaniſque imploraret? Jure ergo, meritoque arguuntur illi Oratores, qui generice potius, abſtractiſque loquendi modis, quam ulla morum, ſive rei imitatione dicenda exponunt. Satis minime efficit, neque ut debet, plane dominatur oratio (1), ſi uſque ad aures volet, atque ſibi judex, de quibus cognoſcit, narrari

(1) Quint. l. 8. c. 3.

ri credit, non exprimi, & oculis mentis oſtendi. Quid enim ſi nullis admotis imaginibus,de inferorum pœnis diſſerat Orator, deque Beatorum gloria, ſi quæ in Scripturis Sanctis referuntur ſententiis, tantummodo proferat, quin ipſis eorumdem figuris verborum ſenſum tribuat, illuſtret, exornet? languida prorſus erit oratio, nulluſque in affectibus ipſe erit, qui dicit, quamvis diſſertiſſimam habere poſſit concionem. Ii autem, qui acriter plus æquo declamant, perpetuiſque inſectationibus ſuos obruunt Auditores, nos cum Fabio, non orationes modo, ſed hyſtorias etiam ut legant hortamur; invenient enim nec in Conſiliis abrupta initia, & concitatius ſæpe in judiciis dictum, & verba aptata rebus, in utroque genere, & breviores aliquando cauſarum orationes, quam ſententiarum.

In perorationibus denique, cum ad concionis finem ventum jam fuerit (quæ vel rerum collectione, vel affectibus conſtat, ſed his fere Concionatori noſtro opus eſt) ea omnia, quæ breviter ennumeranda videntur, pondere aliquo dicenda ſunt; & aptis excitanda ſententiis, & fiiguris utique varianda, de quibus ſuperius jam di-

(1) L. 3. c. 10.

ximus; itemque, ut totas causæ suæ vires Orator ante oculos ponat, & ea dicat, quibus si Judex, ait Quinctilianus, nos vero auditor cum esset, ipse maxime commoveatur: hicque omnes eloquentiæ (1) fontes aperire liceat, magnificis, ornatisque utendum verborum figuris, atque sententiarum. Præclarus sane hic Oratoris labor, sine quo cætera nulla, jejuna, infirma, ingrata sunt. Commovendumque, ut ita dicam Ecclesiæ theatrum, ut ad illum perveniat finem, qui dicit, quo veteres claudebantur Tragediæ: Plaudite; totamque discedens secum afferat orationis victoriam, optactumque dicendi fructum.

A pronunciatione omnis perfectio Orationis.

CAPUT VII.

VErum quid hæc omnia prodesse Oratoribus possunt, nisi cum dignitate quadam egregie quoque pronuncient? Actio in dicendo una dominatur, sine hac summus Orator esse in numero nullo potest (2): mediocris hac instructus summos sæpe supera-

re

(1) L. 6. c. 1. (2) De Or. l. 3. n. 66.

re. Huic primas Demosthenes dedit, secundas, & tertias; ipsoque Demostheni ob id Æschines item palmam concessit; neque enim tam refert qualia sint, quæ intra nos ipsos composuimus, quam quo modo efferantur; nam ita quisque movetur, ut audit loquentem. Jam scimus quod Lystris, præter restitutam claudo cuiquam sanitatem, Paulus (1) & Barnabas Diis quam simillimi habiti fuerint, Mercurio quidem Paulus, quoniam ipse dux erat verbi (iisque) Jovis sacerdos, cum populis tauros, & coronas sacrificare volebat. Divum etiam Basilium, qui Magnus & eloquentiæ laude fuit, Erasmus summopere admiratus est, eo vel maxime, quod simplicem quamdam, nativamque dicendi facultatem, pari cum suavitate, nec non majestate conjugere visus esset, totiusque corporis elegantiam, quæ eousque legentibus placeat, vel cum Auditoribus ipsis eorum vitia vehementius persequitur. Undenam aureum, divinumque nomen (2) sine labe sortitus est Chrysostomus, quam quia in summa eloquentia, summam habeat gratiam, venustatemque dicendi? Unde Zenonis similiter Sanctissimi Veronæ E-

 pis-

(1) Act. c. 14. (2) Suidas, Bern. de Montef. in ejus op. præf.

piscopi, qui tam mite habuit ingenium, & vehemens, tanta erat sermonis suavitas, ut omnes, qui illum adibant, divinum quiddam in eo suspicerent, & quodammodo Deum in homine venerarentur? Illos ergo omnium Concionatorum Principes tum denique imitari facile possumus, si id, quod maxime commendat Fabius, in actione præsertim spectetur decorum: est enim latens quædam in hoc ratio, & innenarabilis, &, ut vere dictum est, caput est (1) artis decere quod facias. Sicut enim si funebres sint conciones, aut consolationis, tristes & submissæ esse debent; in Senatu conservanda auctoritas, in privatis modus, & apud Populum dignitas; ita in laudationibus, gratiarum actione, exortatione, similibusque læta, & magnifica, & sublimis est actio. Deinde vero si iis, quibus incitantur animi, ipseque Orator incitatus antea fuerat, motibus obsequi curemus; nam affectus omnes languescere necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant. Quantum enim in actione insit Concionatoris virium, ex ea intelligi potest subita omnium admiratione, cum Æschines Rhodiis exul, suavissima, ac maxi-

(1) l. 11. c. 3.

ma (1) legiſſet voce, quæ a Demoſthene pro Cteſiphonte dicta fuerat, egregiam Orationem; quid enim inquit, magis admiraremini, ſi illum audiſſetis, cum actore mutato, tantum moveat oratio? Qui vero præclarum illud naturæ munus aſſequutus fuit, ut ex tempore quæcumque dicere poſſit, commonendus maxime erit, ut liberiori quodam modo, ac mentis impetu regantur potius, quæ ipſi dicenda ſunt, eoque verborum, ac ſententiarum ſtylo, quem ab eximiis tantum linguæCultoribus, atque(2) Magiſtris præcipuum ſibi, nativumque quodammodo adſciverit: ſi enim plus æquo ſe ſe ad orationem ſollicitius comparare ſtuduerit, & perturbantur facilius animi cogitationes, & imminuitur antea conceptus ſpirituum fervor, & ingenita retardatur facundia.

Cum autem omnes ipſiuſmet animi motus, (3) ſuam quamdam naturam habeant, vultum, ac ſonum, & geſtum (utar enim Tullianis præceptis), cumque voces primum, ut in fidibus chordæ, ad quemquam tactum reſpondeant, acuta, gravis, cita, tarda, & magna; Iracundia quidem acutum ſibi genus ſumere, incitatum, crebro in-

(1) Val. l. 8. Murator. c. 14. (2) De Or. l. 3. n. 58.

incidens, intermissumque solet; Miseratio, & mæstitia flexibile, plenum interruptum, flexibili voce; Metus demissum, & hæsitans, abjectum; Vis autem contentum, vehemens, imminens, quadam incitatione gravitatis; Voluptas effusum, lene, tenerum, hilaratum, atque remissum; Modestia sine commiseratione, grave quidquam, & uno similique pressu, & sono prolatum. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens scænicus, sed universam rem, & sententiam non demonstratione(1), ut re ipsa factum in re aliqua fuit, sed apta solum significatione declarans. Manus similiter gestu minus arguta, & velox, digitis subsequens verba, parumque in Exordiis expectans; brachium procerius projectum in contentionibus quidem, contractum vero in remissis, quasi quodam telum orationis; itemque pedis supplosio, sed in contentionibus ipsis, aut incipiendis, aut finiendis. Oculorum magna sit quoque moderatio, qui toto præcipue dominantur ore, & vultu; oculi enim sunt etiam, quorum tum intensione, tum remissione, tum conjectu, tum humilitate motus animi significamus apte
cum

(1) Num. 59.

cum genere ipso orationis. Ad vocis denique usum quod est, ut eam plane obtineamus, nihil est Oratori utilius, quam crebra mutatio, nihil perniciosius, quam effusa, contentior; ejus enim varietas, perque omnes vocis sonos, cursus & se tuebitur, & actioni afferet suavitatem.

En igitur quam probe, & Musicen doceri prius voluerat Quinctilianus, qui Oratoris arte instrui cupiebat. Cum enim duplices habeat numeros musicæ facultas, vocibus quidem, & corpore; hæc omnia illi necessaria esse putabat magnus ille Rhetor, ad gestum unum, alterum ad collocationem verborum, tertium ad flexum vocis; plurimumque valere, ut ad sonus, cantusque concentum, tum ad movendos, tum ad leniendos animos. Porro animadvertere id opus maxime est, quod cum & ipse commotus Orator, gestum ita composuerit, vocemque modulatus fuerit ad summum usque motionis, cum sui, tum Auditorum affectum, haud longius in his immorandum erit; cito enim lacrymæ arescunt; ideoque affectum frigescere minime patiamur, cumq. eousque duxerimus, relinquamus, alioque transitus fiat. Veruntamen

(1) Lib. 1. c. 6.

men hæc omnia; ut in pronunciatione optima ſint, divinos plane Viros, Prophetas nempe, Apoſtolos, nec non Eccleſiæ Patres præ oculis habeat Orator, quorum in exponendo Dei Verbo munere fungitur; vultus gravitatem, totiuſque corporis modeſtiam, dicendi vim, animarum zelum, divinam legationem imitetur. Siquidem & ſcire intereſt, maximeque obſervandum quales ipſi quoque Oratores ſint, qua ætate Presbyteri, quo honore, qua dignitate, atque auctoritate debeant videri. Ita quidem fiet, ut ea, quæ utiliter invenerint, ſapienter diſpoſuerint, ornaverint, perfecerint, jucunda, dignaque Pronunciatione tandem adimpleant.

Aſſidua optimorum Auctorum lectio commendatur.

Caput VIII.

UNum eſt, quod maxime commonendum cenſuimus, ut optime dicendi facultas comparari ab Oratoribus poſſit, Imitatio nempe, ſive in legendis, qui in hac prope divina arte excelluerunt, ſive in exercendis, quæ ab iis ediſcere aliquando fue-

fuerit; nam in omnibus fere minus valent præcepta, quam experientia; nihilque rerum ipsa natura voluit magnum cito effici, proposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem, ait Quinctilianus, ut plus esset (crediderim ego) jucunditatis in iis, quæ a propriis gignuntur viribus, industria, atquæ labore, quam quæ aliorum veluti dono adipisci videntur. Omnis ergo vel ipsa in primis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis Oratoribus, & Poetis; quorum sermone assuefacti qui fuerint, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi illum, quo illi loquuti olim fuere.

A Poetis primum initium sumamus, qui omnium vetustiores fere habiti sunt; est enim finitimus oratori poeta, numeris ad strictior paulo, verborum autem licentia (1) liberior, multis vero ornandi generibus socius, ac pene par. Homerus quidem omnium princeps; ille enim omnibus eloquentiæ partibus exemplum, & initium dedit. Hunc nemo in magnis sublimitate, in parvis (2) proprietate superavit. Idem lætus, ac pressus, jucundus, ac gravis tum copia, tum brevitate mirabilis; nec poeti-

(1) De Or. l. 1. n. 16. (2) Quinct. l. 10. c. 1.

tica folum, fed oratoria virtute eminentiffimus. Affectus quidem vel illos mites, vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in fua poteftate hunc auctorem habuiffe fateatur. Apud Latinos vero, alter veluti Homerus, Virgilius habetur, nifi forte & graviori etiam ornatus, atque illuftriori dicendi genere, eminetq; in omnibus eloquentiæ laudibus; quem ex Italicæ linguæ vernaculis quidem Poetis, Torquatus Taffus quammaxime imitatus eft.

Inter Oratores vel unus Græcorum Demofthenes nominandus venit, ac fua ipfe eloquentia orandi pene lex fuit; tanta in eo vis, tam denfa omnia, ita quibufdam nervis intenta funt, tam nihil otiofum, is dicendi modus, ut nec quod defit in eo, nec quod redundet invenias. Quantus deinde in dicendo Cicero eft? tam magnus ille quidem, ut Demofthenis vim effinxiffe dixeris, copiam Platonis, jucunditatem Ifocratis, potioremque idcirco Græcorum facultatem Romam intulerit. Nam quis docere diligentius, movere vehementius poteft? cui tanta umquam jucunditas affuit? Jam in omnibus, quæ dicit tanta auctoritas ineft, ut diffentire pudeat, nec advoca-

ca-

cati ſtudium, ſed teſtis, aut judicis afferet fidem. Cum interim hæc omnia fluunt illaborata, & illa, qua nihil pulchius audire eſt, oratio, præſefert tamen feliciſſime facultatem. Huic oratoriæ artis plene ſimilem addito, Torquati ævo, Joannem Caſa, qui triplici dicendi genere præſertim excelluit.

Ad Hiſtoricos tranſitus fiat (namque in his conciones, ac ſententiæ plerumque ſuadendi, ac deſſuadendi funguntur officio) præter eam ſiquidem, quæ in rebus exponendis laus cuique eſt, quæquæ Oratori ineſſe item quandoque opus eſt, denſus nempe, & brevis, & ſemper inſtans ſibi Thucidides; dulcis, & candidus, & effuſus Herodotus; ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior; ille etiam, quod noſtrum maxime eſt, concionibus, ac ſermonibus vi omni, hic voluptate præſtari ſibi videntur. Verum Herodoto æquari T. Livium quis neſciat, cum in narrando miræ jucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concionibus ſupra quam ennarrari poteſt, eloquentia? Caii vero Cæſaris tanta vis, id acumen, & concitatio concionibus ineſt, ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit appareat. Quibuſcum quotnam ſimiliter conferendi eximiæ iſtius modi artis Viri, quo-

quorum ſententiæ recentioribus habentur Hiſtoriis, Italiæ, Galliarum, Germaniæ, cæterorumque Europæ Regnorum? vel ex Auguſto, ſapientiſſimoque Venetorum Patrum Ordine, extempore etiam mira quidem Doctrinæ, atque facundiæ laude Dicentium; vel ex graviſſimis aliorum Principum Advocatis, Legatiſque, quorum acta quotidie leguntur? His in prophanis Auctoribus probe expenſis, primo quodam hujus Diſciplinæ gradu, meliora utique, ac ſapientiori eloquentiæ facultate inſpici, admirarique poſſunt in divinis Scripturarum libris, tum quaſdam præſertim Sanctorum Hominum allocutiones, & preces, in Pentateuci, Judicum, Regum, aliorumque Hiſtoricorum, præter admirabilem Hiſtoriæ quidem ſtylum; tum in Salomonis concionibus, atque inſtitutionibus; Propheticis, Evangelicis, nec non Apoſtolorum Litteris. E cœlo enim immiſſum ſapientiſſimum iſtud dicendi genus, cuncta humanæ artis præcepta, inaudita quidem excellit, ineffabilique docendi, delectandi, movendique ratione, cum iis comparata, quæ in ſuperioribus expoſita nunc uſque fuere. Huic demum proxime accedunt excellentiora Sanctorum Patrum ſcripta, ſingulari, divinaque facundia exarata

rata

rata, eorum inquam, qui in duobus hisce libellis nominari passim contigit. Ex his igitur quidquid ad sui perfectionem esse cognoverit, animo retineat Orator; & sive scribendum quidquam elegerit, sive extempore dicendum, omnia quidem præ oculis maxime habeat, quæ nunc tradidimus, singulorumq; Auctorum ingenium, & stylum; quodque susceptæ ipsius rei naturam, & genus decere propius intelliget. Ita frequentiori exercitatione similem se illis effingere diligentissime enitatur: optimus enim (1) stylus, & præstantissimus effector, atque Magister; quem satis quidem percipiet, si ea, quæ de Italorum Lingua præclare tradidit laudatus a nobis Petrus Cardinalis Bembus, memoriæ mandaverit. Quo vero se abripi ingenio facilius agnoverit, eo viribus omnibus incumbat excercitatio ipsa: sicut enim adolescentuli Oratoris Magistrum monet Fabius, ut in eo diligenter notet ingenii utique discrimen, & quo natura quemque maxime ferat; duo item sibi vitanda esse: unum ne tentet, quod effici non possit; alterum ne ab eo, quod quis optime facit, in aliud, cui minus est idoneus, transferatur. Si autem liberalior natu-

(1) De Or. l. 1. n. 32.

tura, nulla dicendi virtus ommittenda est, nulla scribendi facultas. Ita fiet, ut & extemporalem orationem facilius proferat, (nam & ita dicere aliquando fiet) meliusque præmeditatam, atque conscriptam. Si subitam enim, & fortuitam commentatio, & cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidue diligens scriptura superabit: haud secus quidem, quam terra alte defossa generandis, alendisque seminibus fæcundior sit, sic profecto non a summo petitus studiorum fructus, & fudit uberius, & fideliter continet: hac vero sine conscientia, vix quodquam laude dignum explicaturus erit, illaque ipsa extempore dicendi inanem modo loquacitatem dabit, inordinatamque, & verba in labiis nascentia. Ab iis ergo, quos supra laudavimus, aliisque summæ eloquentiæ Viris & verborum sumenda copia est, & varietas figurarum, & componendi, tum ad exemplum virtutum omnium mens ipsa dirigenda est: non solum enim si extempore dicat Concionatot noster, sed & si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo (sponte ne, an fortuito) discesserit, reliqua similis oratio consequetur; ut concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis

ERRORES.		EMENDATIO.
Pag. 16.	aptitudo	habitudo
20.	extemporaneis	ſubitis etiam
61.	Ipſeque Cryſoſtomus Hieronymus vero ſermonibus Job	Ipſeque Hieronymus Job vero ſermonibus
83.	facultatem	facilitatem
85.	eorum	omnia

vis motum, &
impetu, pulsi
Habes igit
clarissimis, A
ni præcipue
bus de Ecclesi
da maxime
primis Exem
rumque Pat
demum, a c
nativæ pulc
næ; quæque
tibus quoqu
litatis habea
no, magno
da tradidim

vis motum, & curſum ſuum, intermiſſo impetu, pulſuque remorum.

Habes igitur, optime Lector, ex præclariſſimis, Ariſtotelis, Tulli, Quinctiliani præcipue monitis, quæ in privatis ædibus de Eccleſiaſtico Oratore animadvertenda maxime viſa ſunt; ſed & ſacrorum in primis Exemplorum auctoritate, Sanctorumque Patrum inſtitutis; atque ex ipſa demum, a qua numquam recedere licuit, nativæ pulcherrimæque eloquentiæ rationæ; quæque nos deinde profutura Incipientibus quoque cenſuimus; eaque ſi quid utilitatis habeant, communi Studioſorum bono, magno quidem & libenti animo legenda tradidimus, dicamus, offerimus.

Libri ſecundi Finis.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revifione, ed Approvazione del P. F. *Vicenzo Maria Panciera* Inquifitor General del Santo Officio di Verona nel Libro Intitolato *Marci Pezzii Veronenfis Presbyteri in Ecclefiafticum Oratorem Animadverfionum Libri duo*, non v' effer cofa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per Atteftato del Segretario Noftro, niente contro Principi, e buoni coftumi; concediamo Licenza ad *Agoftino Carattoni* Stampator *di Verona*, che poffa effere ftampato, offervando gli ordini in materia di Stampe, e prefentando le folite Copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 18. Maggio 1763.

(Sebaftian Giuftinian Ref.
(Polo Renier Ref.
(

Regiftrato in Libro a Carte 166 al Num. 830.

Davidde Marchefini Segretario.

